



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

28. An qui ministrat Eucharistiam peccatori, peccet duplici peccato? Ex p.
4. tr. 4. & Misc. res. 103. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. XXVI.

An qui ministrat Eucharistiam in peccato mortali peccet mortaliter? Ex part. 3. tr. addit. Ref. 5.

Que hic est Ref. antecedens, & in omnibus aliis eius nor.

§. 1. **P**RO negatiua sententia plures Doctores adduxi in part. 2. tract. de celebrat. Missarum, res. sol. 23. sed euidam Theologastro nimis laxa visa est hæc opinio, immeritò tamen nam est probabilissima. Et ita præter Vasquez, Ledesma, Nugnum & alios, quos ibi citauit, tenet nouissimè hanc sententiam, me citato, amicus noster doctus Barbosa. tr. de officio Parochi, c. 20. n. 17. vbi sic ait. Priusquam Parochus Eucharistiam administret, si habeat conscientiam peccati mortalis, debet præparare se ad gratiam per confessionem, vel saltem per contritionem; non peccabit tamen mortaliter, si sit in peccato mortali ministrans, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei ad iustificationem proximè, sicut in aliis Sacramentis, sed tantum est veluti applicans actiua passiuus, in aliis namque Sacramentis sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & ministrare. Ita mecum Barbosa.

RESOL. XXVII.

Quidam Sacerdos Capellanus cuiusdam Parochia existens in peccato mortali ministravit per multos menses agrotis sacram Eucharistiam, queritur, an coles in tali administratione peccauerit mortaliter? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 13.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Ref. & in omnibus aliis not. Ref. 25. præcedentis.

§. 1. **V**idetur omnino affirmatiuè respondendum. Nam istud ministerium est actus per se pertinens ad Ordinis Sacramentum, & ideo minister concurrens per characterem ad talem actum, ut minister religionis & ex officio. Item, quia hoc ministerium immediatè versatur circa Sacramentum omnium sanctissimum, atque adeò exigit sanctitatem in ministro, qui si in peccato ministrat, peccat mortaliter. Et tandem cum hoc sacramentum sit cæteris excellentius, propter realem Christi præsentiam, si peccat mortaliter, alia sacramenta in mortali confessione, multo magis conferendo hoc sacramentum, quod nisi à ministro consecrato, & ex officio conferri non potest. Et sic hanc opinionem sequuntur D. Thomas in 4. dist. 5. quest. 2. art. 2. qu. 4. ad 2. Paludanus di. 13. quest. 1. art. 4. concl. 1. Richardus dist. 13. art. 1. quest. 3. Sotus quest. 1. art. 4. Suarez, disp. 16. sect. 4. & disp. 72. sect. 4. Valentia tom. 4. disp. 6. quest. 10. punct. 1. Bonacina de Sacram. disp. 4. quest. 5. punct. 2. num. 3. & alij.

2. Verùm oppositam sententiam docuerunt Henricus quodlibet. 6. quest. 30. Martinus de Ledesma in 4. part. 1. quest. 5. art. 6. dub. 3. & Petr. de Ledesma in summa tom. 1. de Sacram. in communi, cap. 6. concl. 8. diff. 5. fol. mibi 13. nempe non esse peccatum mortale, sed tantum veniale, aliis extra Missam Eucharistiam ministrare. Ratio est, quia licet hoc ministerium per se spectet ad potestatem characteris, & ad ministrum tantum ex officio, non tamen est actio causatiua gratiæ, per se loquendo, quia minister in casu non est per se causa gratiæ, sed tantum conditio sine qua non; nempe causa applicans. Nec tangit nisi species materiales, quæ sanctitatem in se non habent, nisi sicut signa. Item, quia id olim fecerunt laici, & postea minister digitos panniculo circum-

uoluerit, ne species consecratas immediatè tangat. Et tandem, quia si quis corpus Christi tetigerit, cum super terram ambulauerit existens in peccato mortali, non peccasset mortaliter. Ergo, neque modo aliis Eucharistiam in peccato ministrans. Hæc sententia videtur mihi probabilis, sicut etiam visa est Pet. de Cabre, in 3. p. D. Thom. de Sacram. q. 64. ar. 6. disp. 1. §. 5. n. 17. ex quo supra est ista decisio. Et sic respondendum est ad superius quæsitum, dictum sacerdotem administrantem ægrotis Eucharistiam in peccato mortali, non peccasse nisi venialiter. Salus, &c.

RESOL. XXVIII.

An qui ministrat Eucharistiam peccatori, peccet duplici peccato? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 103.

§. 1. **D**vo peccata committere docet aliqui, vnum contra proprium officium, alterum cooperationis peccati proximè. Sed alij vt notat Ioan. Præpositus in 3. part. D. Thome quest. 8. art. 3. dub. 6. num. 23. non improbabiler putant, vnum numero peccatum committere, in hoc consistens, quòd Sacramentum conferatur indigno, quòd necessariò inuoluit peccatum recipientis, & proinde ex eo capite non multiplicetur peccatum ministrati.

RESOL. XXIX.

An in dubio, utrum peccator sit publicus, vel occultus, danda sit ei Eucharistia? Ex part. 4. tr. 3. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Petrus de Ochagania tract. 2. de Euchar. effect. quest. 10. num. 4. vbi sic ait. In casu dubio quo dubitatur, an peccatum sit publicum, vel non, vel an factum quod publicum est, sit peccaminosum, vel non, confertendum est Eucharistiæ sacramentum, quia in pari causa & delicto melior est conditio possidentis suam libertatem; sed iste homo in eo casu possidet suam libertatem accedendi ad hoc Sacramentum, ergo non est denegandum. Ita ille, qui citat etiam Ledesma.

RESOL. XXX.

An si Sacerdos sciat ex confessione aliquod delictum cuius non emendatum, si occultè perat Eucharistiam, sit illi deneganda? Et deducitur, quòd Sigillum confessionis in obligat, et finita ea neque cù ipso penitente possumus amplius de illa loqui, nisi de speciali licentia illius, & non suam loqui, sed neque etiam vultu, aut factis exprimat peccata illius possumus? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 46.

§. 1. **S**i absit periculum infamiae, esse in tali casu denegandam Eucharistiam docent Præpositus in 4. sen. tom. 1. dist. 9. quest. 1. art. 13. Ferrandus de Heredia de Euchar. part. 8. dub. 1. num. 3. Valquez in 3. part. tom. 3. disp. 290. cap. 5. num. 51. qui citat Alexandrum, D. Thomam, Durandum, & Ledesma. Idem docent Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 33. sect. 6. & Victoria in summa, num. 80. Tabiana verb. communis §. 3. Angelus ver. Eucharistia 3. §. 20. Ratio est, quia sic confalitur & sigillo, & sacramento; sigillo, quia non reuelatur, cum occultè negotior; sacramento verò, quia non datur indigno.

2. Sed tu omnino contrariam sententiam tenes, quam suentur Valentia tom. 4. disp. 8. quest. 8. punct. 3. Nauarri